



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXIII. Præterea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

SUMMARIUM.

1. Lite pendente circa Jus Patronatus, presentatio admitti non debet.
2. Quid in tali casu Episcopo faciendum, quo Clericus cum Laico circa Jus Patronatus litigat?

Notandum primum. Lite pendente circa Jus Patronatus presentatio admitti non debet. Ita sumitur ex hoc *c. & c. 3. c. s. vero 12. hoc tit.* & est indubitatum, si lis sit de possessione, id est, si non appareat, quis in possessione sit juris patronatus, uti docet *Gloss. in c. 2. V. electionem de in integ. restit.* Sin autem lis sit de proprietate, refert, num presentatio à bonæ fidei possessore facta sit ante litem motam, an verò post; in priore casu institutio procedere potest, non item in posteriore, uti docui *lib. 4. tit. 2. c. 13. n. 19.* & tradit *Gutierrez in quest. pract. 9. 2. n. 41.* Adde, quæ dixi in *c. consultationibus 19. hoc tit.*

Notandum secundum. In casu, quo Episcopus pendente lite instituere non potest, expectare debet 6. mensibus post beneficij vacationem: quod verum est, si Patronatus sit Ecclesiasticus, uti docui in *cit. c. 3. & cit. c. s. vero* Adde hic *Joann. And. n. 1.* si inter Patronum Ecclesiasticum, & Patronum Laicum sive privatum controversia sit, expectandum esse 6. mensibus, quia socius propter communionem gaudet privilegio, seu jure socij, si socius privilegiatus absque socio jure suo uti non posset, prout docui in *cit. c. 13. n. 4. & s.*

CAPITULUM XXIII.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Quoniam advocati Ecclesiarum jus advocacionis titulo donationis, exemptionis, aliisque suo arbitrio institutis contractibus in alios transferre præsumunt, fordrum item, sive collectas, albergarias, sive militum in ædibus sustentationem, regiū seu tributū, & similia ab Ecclesijs

tanquam à proprijs rusticis extorquent, ideo statuit Lucius III. ut Advocati, seu Patroni, seu vice domini & custodes, seu quaridam habentes, aut quocunque alio nomine censentur, à gravaminibus Ecclesiarum cessent, nihilque ab ipsis præter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos, exigant, aut si aliquid exegerint, excommunicationi subdantur. Contractus quoque illi, quos fecerunt, aut facient, nullius momenti esse pronuntiant.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatus, & Advocacia in jure subinde æquiparantur.
2. Patrono in fundatione reservari potest cum auctoritate Episcopi pensio aliqua.
3. Non possunt Patroni, & Advocati Ecclesiarum onerare eas extraordinarijs oneribus, extra casum communis necessitatis.
4. Advocatus Ecclesia, quando jura, & commoda temporalia jure Advocacie competentia, in alium transferre possit.

Notandum primum. Licet jus patronatus, & jus advocatiæ, si propriè loquendum, distincta sint, teste *Gloss. hic v. jus advocacionis*, tamen in jure æquiparantur; quia utrumque est beneficium ab Ecclesia concessum, iterumque per se, ac seorsum vendi prohibetur, transire autem potest cum translatione bonorum, quibus tale jus annexum est. Ita *Hofst. & And. hic n. 5.* Discrimen verò est, sicuti hic *Innoc. notavit*, quòd jus patronatus loco religioso aut Prælato nomine Ecclesiæ liberè donari potest, non item jus Advocacionis, cum valdè intersit Ecclesiæ, qualem Advocatum habeat.

Notandum secundum. Patrono in fundatione reservari potest cum auctoritate Episcopi pensio aliqua, sed debet esse moderata, habità ratione facultatum Ecclesiæ,

Ppp 2

uti

uti docui L. 4. rr. 2. c. 13. n. 9. Similiter Advocato, propter onus, quod sustinet. Ecclesiam tuendi, constitui potest ab Ecclesia penio fructuum, aliudve temporale commodum, uti hic apparet in c. generali 13. de electione in 6. His autem, quæ ipsi de jure, aut recepta consuetudine Patrono debentur, vel Advocato, contentus esse debet, & plus non exigere cit. c. generali §. illos verò. Simile est, quod habetur in Trident. Sess. 24. c. 3. de reformatione, ut Patroni visitationi ornamentorum Ecclesie, aut bonorum stabilitum, seu fabricarum proventibus se non immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competit. Videri etiam debet Sess. 25. c. 9. de refor. ubi sub excommunicatione latæ sententiæ prohibetur, ne Patroni perceptioni fructuum vel proventuum beneficiorum se ingerant.

3 Notandum tertium. Patroni, & Advocati Ecclesiarum eas non possunt tributis, collectis militum, multo minus jamentorum imperatis sustentationibus, aliisve oneribus, vel exactionibus gravare, cum id Ecclesiasticæ libertati repugnet, quandoquidem Ecclesias ab ejusmodi oneribus exemptas & liberas esse oportet, uti etiam habetur in c. 1. ut. sequente. & docui lib. 4. tra. 9. c. 6. n. 9. Ratio indicatur hæc, quia talia à subditis exigere solent; Ecclesia autem & ministri Ecclesiarum sæculari potestati non subijciuntur, sicut apud Catholicos notum est.

Veruntamen si necessitas aliqua, seu periculum imminens, quod per communem contributionem averti debeat, per se, ac directè impendat Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis non minus ac Laicis, tum naturali jure subsidium conferre tenentur; quare in hoc casu immunitas, seu libertas Ecclesiastica prætendi non potest, cum contributio ab Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis non fiat in signum subjectionis, & ided nec ad imperium, & exactionem sæcularis potestatis facienda est, sed ob consensum, & decretum Episcoporum, qui proinde in tali casu post cognitam necessitatem consentire

obligati sunt: qua de re dixi in cit. c. 6. n. 7.

Notandum quartum. Commoda & temporalia juri Advocatiæ annexa in aliam per donationem, venditionem, aliumve contractum arbitrio Advocati transferri non possunt. Ita videtur colligi ex hoc c. & indicari hic Innoc. & And. n. 5. sed plures hoc locum casus considerari possunt. Primò. Si jura Advocatiæ sit annexum universitati bonorum, tunc transferri potest accessoriè, sicuti & jura Patronatûs, eoque in calu commoda & jura Advocatiæ æstimari possunt, & rerum universitas tanto plures vendi, ut And. docuit. Secundò. Si loquamur de jure Advocatiæ per se, tunc supra dictum, non posse illud in aliam personam transferri, aut in aliam Ecclesiam sine autoritate Prælati Ecclesiastici & Conventus, si Ecclesia sit Collegiata, cum in Advocatiæ electa sit industria, & potentia personæ. Tertio. Si loquamur de ipsis temporalibus commodis, quæ Advocatus (ut supponimus) jure percipere possit, vel ea certa, & definita sunt, & tanta pars fructuum aut tanta pensio, tunc ea commoditates vendi, vel locari possunt, ut percipiantur ab altera persona nominatæ, & auctoritate Advocati titulo Advocatiæ nuncupante penes ipsum argum. c. ut. in prælati vices suas, & cori, quæ dixi in dist. de alienatione th. 8. Vel incerta sunt, tunc rationum sint obsequiales operæ, & ut accedente, aut transeunte Advocato, Ecclesia, vel subditi ejus vecturas sive angarias præstent, talia vendi non posse videntur, parum quæ in hærent personæ Advocati, cui talis hærent, vel obsequia debentur, prout indicat Abbas hic in fine c. partim, quia cedit in magnum præjudicium Ecclesie, si tales vecturas vendantur alijs majoribus, qui lucri, & comodi sui causâ plus vexare solent Ecclesiam vel sunt operæ, aut præstationes adhibendæ reales, quamvis incertæ, tunc vendi possunt, quemadmodum & fructus venduntur nascituri, seu dum sunt in fructu, & retis jactus L. si jactus 12. ff. de usufructu emptis; & contra Innoc. hic docet And. n. 1. Abbas n. 9.

Corollarium. Dux aliquis provincie operas obsequiales, & incertas, quas à rusticis exigere potest, si iter faciat, vel ad venerationem prodeat, non potest vendere nobilibus v. g. vicinis, à quibus ipsi rustici plus, & frequentius vexabuntur, præsertim, cum hæc inter regalia numerentur, quæ vendi prohibita sunt.

CAPITULUM XXIV.

Cum autem.

PARAPHRASIS:

Si Ecclesie Advocatus, sive Patronus (hic enim Advocatus pro Patrono accipitur, sicuti & in c. quia 6. hoc tit.) Clericum idoneum præsentavit, eumque institui postulavit, postea verò, eo non refutato, alium æquè idoneum præsentet, distinguendum debet, num sit Patronus Laicus, an Ecclesiasticus; in Laico Patronatu Episcopi judicio relinquitur, quem ex duobus præferre velit, at verò in Ecclesiastico, si videlicet collegium, vel Ecclesiastica persona Ecclesie jus præsentandi habeat, qui prior est tempore, potior est jure.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatûs aliud Ecclesiasticum est, aliud Laicale.
2. Patronus Laicalis variare potest, si res sit integra, aliud & aliud præsentando.
3. Debet tamen idoneum præsentare, neque aliud recipere potest Episcopus.

Notandum primum. Jus Patronatûs aliud est Ecclesiasticum, & aliud Laicale. Ecclesiasticum est, quod sacro collegio, aut personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesie, aut dignitatis suæ Ecclesiasticæ competit; Laicale verò, quod universitati, aut collegio non sacro, vel personæ private, Clerico, vel Laico competit.

Notandum secundum. Patronus Laicalis variare potest, & postquam idoneum unum præsentavit, si res adhuc integra sit, seu nondum institutio facta, alterum idoneum præsentare; quo in casu utriusque jus, & actio acquiruntur indeterminatè, ita, ut unus eorum ab Episcopo instituat: quare non rectè sensit Gloss. hic verbo alium, quòd Patronus præsentans alterum, censetur recedere à primo; non enim recedit, sed alterum cumulat cum primo. ut Ioann And. notat n. 6. Sive ut alijs verbis dicam, variatio fieri potest non privativè, sed cumulativè, & ideò in Episcopi electione est, utrum ex duobus idoneis præsentatis ei gratificando, instituere velit. At verò Ecclesiasticus Patronus variare non potest, sicuti neque eligentes possunt, uti hic Innoc. notavit, quia tales actus nomine & jure Ecclesie quasi ex officio exercent, ideòque cum officio suo semel functi sunt, acquiescere debent argum. c. si tibi 17. de præb. in 6. ubi hoc ipsum traditur de collatione; hæc autem ratio locum non habet in Patrono Laico, quippe qui suo proprio jure præsentat, & ideò Laicus Patronus fortius jus habere censetur.

Notandum tertium. Patronus Clericum; idoneum præsentare debet, & Episcopus alium, seu qui idoneus non est, recipere & instituere nec debet, nec potest. Ita sumitur ex hoc c. & c. ex litteris 7. hoc tit. Trident. sess. 25. c. 9. de reform. ubi agitur, si ad inferiores institutio pertineat (speciali jure) quòd ab Episcopo instituendi examinari debent, alioquin institutio inanis sit. Adde, quòd ex duobus cumulativè præsentatis Episcopus præferre debet, qui magis est idoneus, & ideò locus gratificationi non est, nisi, si duo æquè idonei præsententur, quæ de re dicam in c. Pastoralis 29. hoc tit.

Vide etiam, quæ docui l. 4. tr.

2. c. 13. n. 4o

